

Sibthorp, John ; Smith, James Edward [Editor]: Flora Graeca, sive plantarum rariorum historia, quas in provinciis aut insulis Graecis legit, investigavit et depingi curavit John Sibthorp: hic illic etiam insertae sunt pauculae species quas vir idem clarissimus, Graeciam versus navigans, in itinere, praesertim apud Italiam et Siciliam, invenit (Voluminis quinti- Fasciculus primus): Vol. V.

London, 1825

Seite 105

DECANDRIA TRIGYNIA.

25

coloratus; basi paululùm constrictus. *Petalorum unguis* lineares; *laminae* semibifidae, lobis apice rotundatis, subtùs venosis; basi utrinque dilatatae, sive auriculatae; *appendiculis* bipartitis, divaricatis. *Stamina* paululùm exserta. *Germen* gracile, longitudine *receptaculi proprii*. *Styli* staminibus aequales. *Capsula* ovata, glaberrima, basi retusa, pedicello duplò vel triplò longior. *Semina* compressa, dorso scabra.

Petalorum auriculæ in hâc specie peculiare omninò sunt.

- a. Calyx. b, b. Petala.
c. Stamina et pistillum, cum receptaculo proprio.
d. Pistillum et receptaculum, absque staminibus.
e. Capsula.

TABULA 436.

SILENE FALCATA.

SILENE caulibus unifloris, foliis subulatis falcatis pilosis, calyce clavato, petalis semibifidis; unguibus cuneiformibus.

In monte Olympo Bithyno. 2.

Radix cylindræa, crassa, albida, perennis, altè descendens. *Caulis* densè cæspitosi, breves, ramosi, undique foliosi, depressi; floriferi adscendentes, palmares, teretes, pubescentes, nudiusculi, simplices, uniflori. *Folia* copiosa, densè congesta, subulato-linearæ, acuta, integerrima, falcata, nervosa, piloso-viscida, vix uncialia; superiora in caulibus floriferis per paria remotissima, abbreviata, paululùm dilatata, trinervia. *Flos* terminalis, ebracteatus, erectus, majusculus, ochroleucus, calyce sanguineo, clavato, gracili, piloso. *Petalorum unguis* cuneati, calycem superantes; *laminae* ultra medium bifidae, laciniis parallelis, obtusis; *appendiculæ* obtusæ, bipartitæ. *Stamina* exserta, albida. *Germen* ovatum, parvum, viridi rubroque pictum, *receptaculo proprio*, longitudine ferè calycis, cum petalis staminibusque, impositum. *Styli* staminibus breviores. *Capsula* ovata, fusca, lævis, longissimè pedicellata, exserta, sexdentata.

Planta *foliis* falcatis, densè cæspitosis, *floribusque* elegantèr bicoloribus, haud minùs singularis quam pulchra. In præruptis et lapidosis alpinis viget; nec nisi in Olympi Bithyni cacumine adhuc inventa est.

- a. Calyx. b. Flos, calyce abrepto. c. Pistillum auctum.

Notandum est, quòd *capsula* in hoc genere sexfariàm semper dehiscit; nec, ut in *Lychnide*, aliisque generibus aliquot pentagynis, quinquefariàm. De hâc re hallucinatus est Linnæus, ut etiam Jussieu.

VOL. V.

H